Hormisda Campanus an. VIII d. XVII, sepultus in Vaticano.

Iste clerum composuit et erudivit, et constituit, ut in eligendis sacerdotibus maxima diligentia sit. Indict. IX.

Iohannes Tuscus an. II mens. IX d. XVI, sepultus Ravennae et inde adductus sepultus est ad sanctum Petrum.

Iste a Theodorico rege Gothorum Ravennae in carcere occisus est. Indict. III.

Felix .... an. IV mens. II d. XIII, sepultus ad s. Petrum.

~~[illegible]~~ Anno DXXVII Ind. V.

Bonifacius Romanus an. II d. XXVII, sepultus ad s. Petrum.

Iste constituit sibi successorem, sed cum ab omni clero id contra canonem videretur, chirografum igne comburens reum se maiestatis confessus est.

Anno DXXXI Indict. IX.

Iohannes Romanus an. II mens. IV d. VI, sepultus ad s. Petrum.

An. DXXXIII Ind. XI.

Agapitus Romanus an. XI mens. XI d. XXVIII, sepultus Constantinopoli.

Iste ad Iustinianum seniorem imperatorem Constantinopolim perrexit, ubi et mortuus est, damnato Antimo Arriano episcopo, cuius corpus ad s. Petrum delatum est.

Anno DXXXV Indict. XV.

Silverius Campanus mens. IX sepultus in Pontia.

Iste constituit, ut decreta pontificum Romanorum ab omnibus custodiantur. Iste in exilium missus est in Pontiam insulam ibique mortuus.

An. DXXXVI Indict. XIV.